C VIRES. EX DIOSCORIDE.

Sicca cum oxymelite, aut sale pota, non secus atque Epithymum bilem atram & pituitam per inferna ducit. Asthmaticis & melancholicis prodest. Herba ipsa floribus demptis à calculosis & asthmaticis utiliter bibitur. Decoctum eius ad insidendum prodest in uuluæ duritia & inflammatione. Illinitur cum floribus sacris ignibus, & inflammationi.

EX PAVLO.

Parthenium aridum in potu sumptum atram bilem per inferna deducit.

EX PLINIO.

Siccatum cum melle & aceto potum, bilem trahit atram. Ob hoc contra uertigines utilis & calculosis. Ad insidendum decoctũ in duritia uuluarum & inflammationibus. Illinitur & sacro igni, item strumis cum axungia inueterata. Magi contra tertianas sinistra manu euelli eam iubent, dicique cuius causa uellatur, nec respicere: dein eius folium ægri linguæ subijcere, ut mox in cyatho aquæ deuoretur.

Superstitiosum.

DE POLYGONATO. CAP. CCXXII.

NOMINA.

Sigillum Salomonis. Polygonatum cur dictum.

POLYGONATON Græcis, Polygonatũ Latinis dicitur. Officinis, item herbarijs & uulgo, sigillum Salomonis, Germanis Weißwurtz/hoc est, radix alba nominatur. Polygonatũ autem à radice geniculorũ frequentibus nodis ex interuallis tumente appellauerunt.

GENERA.

D Duo eius genera damus. Vnum uerum, latioribus folijs: alterum multò angustioribus, quemadmodũ pictura graphicè ostendit. A folijs utrique nomina sunt indita.

FORMA.

Sigillum Salomonium.

Frutex est cubito altior, folia lauro similia habens, latiora tamen & lęuiora, sapore mâli cotoneæ aut punicæ: gustatum enim adstrictionẽ quandam respit. Per singulos foliorum exortus candidos flores promit numero maiore quàm folia, suppu tatione à radice facta. Radicem habet candidã, mollem, longam, geniculis plenam, densam, graueolentem, digiti crassitudinẽ obtinentem. Iam si singulas Salomonij sigilli notas libeat prosequi, omnes, ne una quidem reclamante, adesse comperies. Nanque in montibus gignitur, frutice cubito proceriore, folijs lauri latioribus, & læuioribus, quæ gustata quendam mâli cotoneæ aut punicę saporem referant cum aliqua adstrictione. Flores per singulas foliorum eruptiones exiliunt candidi, qui folia numero longè superent, à radice ad cacumen supputata. Siquidem bini, terni, aut plures ab unoquoque foliorum sinu prodeunt. Radix illi candida, mollis, longa, crebris nodis articulata, densa, grauiter olens, digitali crassitudine. Floribus excussis baccæ pisi ferè magnitudine dependent, ex uiridi nigricantes, & in quendam ordinem digestæ.

LOCVS.

Nascitur in montibus.

TEMPVS.

Maio mense floret, quo etiam tempore carpi debet.

TEMPERAMENTVM.

Polygonatum mistam habet qualitatem. Est enim in eo adstrictionis pariter & acrimoniæ quippiam, necnon fastidiosæ cuiusdam amaritatis explicatu difficilis.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix illita uulneribus auxiliatur. Quinetiã uultus maculas delet & aufert.

EX GALE-

POLYGONATVM
LATIFOLIVM.